



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXXXV. Christo triumphante de morte & Orco, Magdalenaæ møror.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

LXXXIV.

Optat cum CHRISTO mori MAGDALENA.

SICCI NE? CHRISTE tuæ rupit mors
vincula vitæ,
Et mihi vita nouo stamine pensa trahit?
Magdalin ah! gelidus gelidi tu marmoris hospes
Deseris, & Solymis Magdalis errat agris?
Cur ego non tecum concordi iuncta sepulcro,
Hac in rupe pari nube sepulta tegor?
Tristis Hymen nūc cerne, dolor præludit Amori.
Pro thalamo, hīc tumulum mortis adornat
Amor.

Si necis & vitæ par copula iungit amantes,
Et ligat æquus Amor; lex iubet æqua mori.
Quam discors series sic impare diuidit æuo,
Morte mihi grāuior vita superstes erit.
Ne viuam: ah! viuo, cui pars perit optima vitæ.
Nōnne mori totam est, viuere dimidio?
Imò necis mihi mille necis mora parturit, eheu!
Nolo dimidio viuere, nolo mori.

LXXXV.

*CHRISTO triumphante de morte &
Orco, MAGDALENAE mæror.*

TAENARVS abrupto rictum disclusit hiattu,
Demugitque cauo gens Erebea specu.
Quin etiam latè populi gemuere silentes,
Victor ut ad Stygias canduit vltor aquas.
Semi-

Semita collucet vocali persona Iudo,
Quà nouus ignotum rescidit vltor iter.
Iamque triumphato spolium deportat Auerno,
Limina qui quadrâ rupit ahena trabe;
Quaque triumphalem longo trahit agmine
pompam

CHRISTVS ouans, socio te iubet ire choro.
Mille Duces inter solus spectatur I E S V S;
Nec comes hic festâ Magdala fronde vires?
Curarum heu! tibi mille serit noua cura catenas;
Teque nigrâ mortis compede vincla grauant.
Quid tibi vis, luctu quæ vertis acerba triumphû?
Alterius palmas cur tua damna facis?
Cerne, cauo saxo spolium tibi liquit Auerni;
Et moreris victæ mortis ad exuias?
Quod genus hoc luctus? raptæ modò pignora
vitæ,
Quæ tibi vis pariat spes, peperisse doles?
Hoc Amor? Inuidia est: & adhuc mentiris A-
morem?
Quis furor hic, vitâ sospite velle mori?

L X X X V I.

Angor absente CHRISTO.

P R I M A venit, postrema redit, casiamque se-
pulcro
Larga vouet, parili pænè sepulta specu
Magdalensis, elingui vox hæret vincita palato;
Et brutæ statuæ par, sine mente stupet.
Scilicet absentem cruciat procul ardor I E S V
Dissitus, & lento decoquit igne iccur.

K Eminus